DECRETA

Congregationis Generalis Decimæ ſeptimæ.

CUm die 19. Novembris 1750. diem obiiſſet extremum R. P. noſter Franciſcus Retz, renunciatuſque fuerit cum poteſtate Vicarii Generalis R.P. Ignatius Vicecomes, quem ille, ſcripto a ſe relicto, atque a Patribus Aſſiſtentibus recognito, nominaverat; is, de Patrum Aſſiſtentium conſilio, Congregationem Generalem ad novi *General. Cong. occaſio.*

Digitized by Google

Præpoſiti electionem indixit in diem Sancto Aloyſio Gonzagæ ſacram, vigeſimam primam Junii Anni 1751. Quâ die ex omnibus planè Europæ Provinciis adfuere Provinciales, ſeu Vice-Provinciales, atque Electores omnes. Quare fuit conſequenti die inchoata Congregatio.

I. *In M. S. Act.* 1. *&* 3.

POſtquam verò plenum, pronunciaſſent Patres, atque legitimè congregatum Cœtum; ad plura ſuffragia electus eſt I. Secretarius electionis P. Veſpaſianus Maria Trigona unus Electorum Provinciæ Siculæ. Tum electi eodem modo ſunt P. Philippus Antonius Orlandi Elector Provinciæ Romanæ, qui ipſo electionis die orationem haberet, & P. Hieronymus Ridolfi Vi-

Electiones variæ.

Vice-Præpoſitus in Romana Profeſſorum Domo, qui Electores eo die includeret.

Pluribus item ſecretis ſuffragiis pro detrimentis recognoſcendis ex ſingulis Aſſiſtentiis deputati fuerunt: ex Italica P. Aloyſius Centurione Provincialis Provinciæ Mediolanenſis; ex Germanica P. Gaſpar Hoch Provinciæ Rheni Superioris Moderator; ex Gallica P. Petrus Claudius Frey Præpoſitus Domus Profeſſæ Pariſienſis, & Provinciæ Franciæ Elector; ex Hiſpana P. Alexander Laguna Provincialis Toletanæ Provinciæ; & ex Luſitana P. Joſeph de Andrade Provincialis Luſitanæ Provinciæ. Demum delectus Aſſiſtens Electionis P. Joannes Antonius Timoni Romanæ Provinciæ Moderator.

II. *In M. S. Act. 4.*

Electio Præp. Gener.

PRæfinitâ die 4. Julii, quæ in diem Dominicam hoc anno incidit, interjecto de more quatriduo, atque omnibus ritè ſervatis, quæ in Formula, & Conſtitutionibus, ac Decretis præſcribuntur, laudabili animorum conſenſione, longè pluribus medietate ſuffragiis, primo ſcrutinio electus eſt in Generalem Præpoſitum R. P. Ignatius Vicecomes. Moxque formatum ſuper ea re decretum, ſubſcriptumque a Secretario, ac promulgatum.

III. *In M. S. Act. 5. & 6.*

Elect. Secret. Congr. & Socior.

ELectus eſt Congregationis Secretarius idem ipſe, qui fuerat Electionis P. Veſpaſianus Maria Trigona, cui additi ſunt So-

Socii P. Andreas Faget Rector Collegii Burdigalenſis, & Elector Provinciæ Aquitaniæ, & P. Gaſpar Joſeph Gagna Rector Collegii Taurinenſis, & Elector Provinciæ Mediolanenſis.

Elect. Deput. ad Poſt. ſecernenda.

Deinde deputati ſunt ad poſtulata ſecernenda pro quinque Aſſiſtentiis: Pro Italica P. Joannes Antonius Timoni Provinciæ Romanæ Provincialis; pro Gallica P. Leonardus des Plaſſes Provinciæ Aquitaniæ Provincialis; pro Germanica P. Stanislaus Popiel Provincialis Polonæ Provinciæ; pro Hiſpana P. Martinus Garcia Provincialis Provinciæ Bœticæ; & pro Luſitana Pater Ignatius de Silveyra Aſſiſtens, ſinguli ſingulis ſcrutiniis.

IV. *In M. S. Act. 7. & 8.*

Die jam ſtatutâ, undecimâ Julii, ultimâ, nimirum,

quatridui capiendis informationibus deſtinati, omnibus ſervatis, quæ ad Aſſiſtentium electionem ſervari debent, electi ſunt Aſſiſtentes pro Italia P. Aloyſius Centurione Provincialis Mediolanenſis Provinciæ primo ſcrutinio; pro Germania P. Leonardus Tſchiderer tertio ſcrutinio; pro Gallia P. Joſeph Joachim dela Granduille primo ſcrutinio; pro Hiſpania P. Petrus de Ceſpedes ſecundo ſcrutinio; qui tres hoc eodem munere proximè ante functi fuerant, quique omnes juramentum pro more præſtiterunt; pro Luſitania ſecundo ſcrutinio P. Joannes Guſman Rector Collegii Scalabitani abſens.

Electio PP. Aſſiſtentium.

Tum vocati ſunt ad Congregationem P. Joannes Scotti Secretarius Societatis, & P. Joſeph Auguſti Procurator Generalis. Poſtremò electus eſt primo ſcru-

tinio

tinio Admonitor P. Ignatius de Silveyra, qui fuerat Luſitaniæ Aſſiſtens.

Electio Admonitoris.

V. *In M. S. Act.* 19.

PEtitum fuit, an Procurator Generalis, ſi Profeſſus fuerit, & ex Romana Provincia aſſumptus, eique jure Profeſſionis competat ingredi Congregationem Provincialem, ingredi debeat intra numerum præſcriptum a Canon. 16. Congr. 5. ut ſtatuit Congr. 6. decr. 25. §. 11. An verò extra eum numerum, ut ſtatuere videtur Cong. 8. decret. 48. Poſt accuratam hac ſuper re diſcuſſionem, cenſuit majori ex parte Congregatio, Procuratorem Generalem in caſu expoſito, ingredi debere intra numerum juxta citatum decretum Congr. 6., nec obſtare decre-

Procurat. Gen. Profeſ. Rom. Prov. ingreditur intra numerum.

tum Congr. 8. in quo ſermo eſſe videtur de Procuratore, aut ex diverſa a Romana Provincia aſſumpto; aut ad Congregationem accedente jure ſui muneris, non Profeſſionis.

VI. *In M. S. Act.* 18. & 20.

Qui gravi infamia notatur, nec ad Congregationem vocari, nec ab ea eligi poteſt.

IS, qui gravem pœnam ſuſtinuit a Superioribus Societatis impoſitam ob gravem culpam; cui gravis infamia adnexa eſt; etiamſi pœnam abſolverit; ſi tamen adhuc durat gravis infamia; cenſendus eſt ita impeditus, ut nec vocari poſſit ad Congregationem Provincialem, nec ab ea in Procuratorem, aut Electorem eligi. Porro de hoc impedimento gravis infamiæ, perſeverantis poſt expletam pœnam, judicent ii, qui de impedimentis judicare debent, ut de incarceratis,

ratis, deque iis, qui actu ſubeunt pœnam gravem a Superioribus Societatis, ſtatuit Congregatio 16. decr. 12.

VII. *In M. S. Act. 28.*

QUitenſis Provinciæ nomine poſtulatum fuerat, an ejus Provinciæ Moderator poſt triennium, aut quadriennium ſuæ gubernationis expletum, regere nihilominus Provinciam debeat cum nomine, & Prærogativis Provincialis, ſi ſucceſſor, adhuc jam publicè renunciatus, utpote vel extra Provinciam exiſtens, vel longinquis Miſſionibus occupatus, nondum acceptavit, aut eum acceptaſſe non conſtat. Vel ſi reſeratis ſequentis gubernationis literis, ii, qui nominati ſunt, mortem obierint? An verò in iis caſibus,

Quitenſ. Prov. poſtulatum.

Provincialis, qui quadriennium abſolvit, gubernare interim debeat inſtar Vice-Provincialis, ac proinde in Provincialibus comitiis jure paſſivo gaudeat?

Cenſuit Congregatio, nihil hac ſuper re novi ſtatuendum, ſed ſtandum juri antiquo pro univerſa Societate ſtatuto (cum nihil peculiare ſtatutum ſit pro ea Provincia) ex noſtro autem jure conſtat, quod non expiret Anteceſſoris Auctoritas, niſi cum inchoatur Auctoritas ſucceſſoris: Nec Auctoritas hujus inchoatur, niſi a die authenticæ renunciationis ex Canon. 20. Congr. 8. Cum ergo in caſibus in poſtulato expoſitis ſucceſſor dici non poſſit authenticè renunciatus; declarat Congregatio, Anteceſſorem in iis caſibus, vel expleto quadriennio, perſeverare in munere Provincialis (niſi aliter in lit-

Expleto quadriennio, Provincialis in ſuo munere perſeverat, donec ſucceſſor ſit Authenticè renunciatus, etiam in Prov. Quitenſi.

Niſi aliter a Gen. cautum ſit

litteris novæ deſignationis cautum ſit a R. P. noſtro) ac proinde, eum privari jure paſſivo in Provincialibus Comitiis. Declarat nihilominus Congregatio, quod non intendat decreto iſto quidquam detrahere R. Patris Generalis Auctoritati.

Gener. Auctoritati nihil detrahitur.

VIII. *In M. S. Act.* 31.

CUm dubitaretur penes quem ſit poteſtas judicandi de inhabilitate Aſſiſtentium, aut Admonitoris, ſi quando ob gravem infirmitatem, aut ſenium rebus ſui muneris vacare non poſſint: ut ſi abſolutionem a munere ipſi opportune non petierint; poſſit, ac debeat Præpoſitus Generalis, ad ea detrimenta vitanda, quæ Societati univerſæ obvenire poſſent ex eorum inutilitate diutius tolerata, alios in

Poteſtas indicandi de Aſſiſtentium, & Admonitoris inhabilitate eſt penes Præp. Gener.

in eorum locum, ſervatâ juris noſtri formâ, ſubſtituere; declaravit Congregatio, Poteſtatem hanc eſſe penes Præpoſitum Generalem, ſervata juris noſtri formâ; quemadmodum ad ipſum ſpectat judicare de Aſſiſtentis indignitate, ut colligitur ex Decret. 87. Congr. 1.

IX. *In M. S. Act. 16. & 17.*

Omni Superiore deficiente in Collegiis; juriſdictio eſt penes Sacerdotem antiquiorem.

SI aliquando contingat (quacumque ex cauſa) ut nullus ſit in Collegio aliquo, vel domicilio deſignatus ſuperior; ſtatuit Congregatio, ſuperioris juriſdictionem (ſpiritualem, ſcilicet, & quoad externam, domeſticam diſciplinam, non verò quoad gravia negotia peragenda, aut conficienda inſtrumenta) remanere penes Sacerdotem antiquiorem, ductâ antiquitate ab in-

ingreſſu in Religionem. Idque donec Provincialis admonitus (ſtatim autem moneri debet ab ipſo antiquiore Sacerdote) provideat.

Declarat autem Congregatio exemplo Congr. 4. Decr. 56. non comprehendi præſenti Decreto, niſi Provincias intra Europam, earumque Collegia, ac Domicilia. Porrò quo ad Provincias, & Collegia extra Europam Providentiæ R. P. noſtri commiſit, ut auditis hac in re rationibus, & variis earum Provinciarum uſibus, cuique earum præſcriberet quæ, omnibus penſatis, utiliora, ac magis opportuna fore in Domino judicaverit.

Non comprehenduntur Prov. & Coll. extra Europ.

X. *In M. S. Act.* 21.

QUi ſunt proxime expediti ad profitendum, nunquam

Expediti ad profitendum nunquam non expeditos expectent.

quam expectare debent non expeditos, ex quavis cauſa proveniat, ut hi non ſint proximè expediti, ſive ex parte ipſorum, ſive ex parte alterius, ſive etiam quia ex oblivione miſſæ de iis non fuerint opportuno tempore informationes ad Patrem Noſtrum. Et ſervandus ſemper eſt inter eos ordo a tempore emiſſæ profeſſionis, ut in ſimili ſtatuitur a Congreg. 12. Decr. 11.

Servandus ordo emiſſæ Profeſſ.

XI. *In M. S. Act.* 24.

CUm tot ſanctionibus prohibita ſit Noſtris adminiſtratio Bonorum; etiam eorum, quæ quis Societati donavit, ut puritati noſtræ Paupertatis conſulatur, atque iis incommodis, quæ ex ejuſmodi adminiſtratione oriri poſſent, obviam eatur; cenſuit Congregatio, commendandum

Nulli concedenda facultas adminiſtrandi bona, niſi ex gravi neceſſitate, & ſub ſtatutis conditionibus.

dum impenſè R. P. Noſtro, ut difficilem ſe præbeat in concedenda alicui Noſtrorum facultate adminiſtrandi bona ejuſmodi. Et ſi quando ad id gravis neceſſitas urgeat; non concedat, niſi ad ſtatum tempus, & cum obligatione reddendi rationem hujuſmodi adminiſtrationis immediato Superiori, niſi alium deſtinâvit R. P. Generalis.

XII. *In M. S. Act.* 9. 10. 23. 24. & 25.

Perſeverantia Præceptorum a Gener. impoſitorum.

MEns Societatis fuit, & eſt, ut Præcepta a Præpoſitis Generalibus ſive toti Societati, ſive particularibus Provinciis, ſive etiam domiciliis impoſita, durent, mortuo etiam Generali, donec a Præpoſito Generali, aut a Generali Congregatione revocentur; quod ipſum poſt ac-

accuratam diſcuſſionem, ad avertendam dubietatem omnem, ſi qua unquam oriri poſſit hac ſuper re, declarat præſens Congregatio, & quatenus opus eſt, præſenti Decreto ſtatuit, conferens (ſi opus ſit) præceptis illis vim, ut ita permaneant donec dicto modo revocentur.

Intercesſio non admiſſa. Unus huic decreto interceſſit; verum Patres cenſuerunt interceſſioni non deferendum, ſed ſtandum Decreto.

XIII. *In M. S. Act.* 29. 30. 31. & 32.

Urgenda executio eorum quæ circa ſtudia ordinata ſunt. AD varia Provinciarum poſtulata, de ſtudiis, generatim reſpondit Congregatio ex judicio deputatorum, ſatis proviſum eſſe in Conſtitutionibus, Ordinationibus, Ratione ſtudiorum, & Decretis Congrega-

gationum; urgendam eſſe dumtaxat executionem.

Quo ad ipſa verò ſtudia Philoſophica, de quibus præſertim agebatur, ſpeciatim reſponſum eſt, abundè proviſum eſſe in Decreto 36. Congreg. 16. (quod confirmat præſens Congregatio) ſiquidem mediam, & temperatam viam tenet inter utrumque extremum: Nam ſtatuit, etiam in Phyſica Generali docendum eſſe, & propugnandum ſyſtema Ariſtotelis. Et huic optimè convenire Phyſicam amœniorem, & experimentalem.

In Philoſophia retinenda doctrina Ariſtotelis.

Permittitur Phyſica amœnior experimentalis.

Verum ne qui irrepant abuſus ex occaſione amœnioris iſtius Philoſophiæ, præſens Congregatio has cautiones approbat, & præſcribit. Prima eſt, ut in Philoſophia tradentur accurate quæſtiones, & notiones, quæ licet theologicæ non ſint, nec eſſe

Cautiones in ameniori tradenda experimentali Philoſophia adhibendæ.

eſſe debeat, viam tamen complanant, & muniunt ad Theologiam ſcholaſticam. Secunda, ut in iſtis quæſtionibus, & diſputationibus Phyſicæ experimentalis retineatur methodus Syllogiſtica, nec excurratur in longiores, aut merè hiſtoricas narrationes. Tertia, ut parcè, & quantum neceſſe eſt ad quæſtiones verè Phyſicas, attingantur ea, quæ Matheſim directè, ac propriè ſpectant.

XIV. *In M. S. Act.* 28.

Facultas diſſolvendi Collegium, & Reſidentiam.

AD petitionem Provinciæ Venetæ facta eſt Rev. Patri noſtro facultas diſſolvendi parvum Collegium, & Reſidentiam, ſi, & quando ipſi viſum fuerit, id ad majus Dei obſequium, & Societatis bonum profuturum.

XV.

XV. *In M. S. Act. 26.*

ANnuens Congregatio poſtulato plurium Provinciarum permiſit, ut typis mandaretur elenchus omnium Præceptorum totam Societatem obligantium; ita ut intelligantur quæcumque alia ejuſmodi præcepta totam Societatem obligantia in eo non contenta, aut nunquam extitiſſe, aut hoc ipſo eſſe abrogata. *Elenchus omnium Præceptorum.*

XVI. *In M. S. Act. 28.*

PEtiit a Congregatione R. P. noſter, num expediret, manentibus in ſuo vigore Conſtitutionibus, Procuratorem Generalem conſtituere quatuor votorum Profeſſum; cum in præſentia non occurrat non profeſſus ad id muneris idoneus? *Diſpenſatur ut Procurator Gener. ſit Profeſſus.*

Ne-

Neceſſitati ſerviendum rati, Patres, reſponderunt, expedire idque exemplo Congregationis 12. Decr. 29.

XVII. *In M. S. Act.* 34.

R. P. N. & PP. Aſſiſtentibus committitur approbatio Decretorum.

NE nimium protraheretur Congregationis ſolutio cum gravi incommodo, ac periculo eorum, quibus iter erat in remotiſſimas Provincias, viſum eſt Patribus abſtinere a lectione Decretorum, quibus extrahendis, perpoliendiſque, plurium dierum opus impendendum eſſet. Quare exemplo aliarum Congregationum Generalium Rev. Patri noſtro, & Patribus Aſſiſtentibus demandata eſt cura, ut ejuſmodi Decreta a Secretario Congregationis extracta recognoſcerent, eaque ipſius Congregationis nomine approbarent.

XVIII.

XVIII. *In M. S. Act.* 34.

CUm omnia a Congregationis formula præſcripta, abſoluta eſſe viderentur; petiit R. P. noſter num placeret finem Congregationi imponere? Cumque Patres unanimi conſenſu, placere dixiſſent; R. P. noſter felicem omnibus in ſuas Provincias reditum precatus; eos ad exactam obſervantiam eorum, quæ ſapientiſſime conſtituta ſunt, eſt hortatus. Atque gratiis D. O. M. Beatæque Virgini Dei Parenti, ac Beato Patri noſtro Ignatio perſolutis, dimiſſus eſt Cœtus die quinta Septembris, cui initium fecerat dies vigeſima ſecunda Junii ejuſdem anni 1751. *Solvitur Cœtus.*

A. M. D. G.

ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis. 1752.
Superiorum Permiſſu.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſt. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Rm̃i P. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Soc. Ord. Præd.

Digitized by Google